

suas actiones obeunt, habeant; atq; sub quacunq; figura suam naturam retinere possunt, atq; quælibet partis particula eandem retinet. Cujus naturæ respectu definitio partis similis, quæ est apud Aristotelem; *1. de histor. animal. c. 1. Galen. 8. de plac. Hippocr. ac Plat. c. 4. & 1. de elemen. c. 8.* ipsis competit; non verò respectu officii, quod habent, non ut similes, sed ut certam figuram, & conformationem obtinent, seu quatenus organicae sunt. Nimirum quælibet particula venæ vel arteriæ, si cum quacunq; particula venæ vel arteriæ conferatur, ejusdem cum ea naturæ est: etsi non sit vena vel arteria, id est, vas sanguini & spiritui vehendo dicatū. Ista, de qua modò diximus, similium partium constitutio quidem etiam dissimilibus competit; sed per accidens, quatenus nimirum ex similibus constant.

*Dissimilariū constitutio.*

Propriam autem & peculiarem habent dissimiles constitutionem, quæ in compositione ad actiones apta & necessaria consistit; quæ pro varietate actionum edendarum in diversis partibus diversa est.

*An omnis pars organica sit dissimilari; & an organica opponatur similari.*

Hoc itaq; loco non prætereundum, sed diligenter perpendendū: An omnis pars organica dissimilari sit, atq; an eadem sit pars dissimilari ac organica. Videmus quidem apud Autores sæpissimè opponi similari partem organicam: Verum tamen ipse Galenus venas & arterias, quas, *2. de element. c. 1. & de differ. morb.*

*c. 3. inter similes partes numeravit, lib. de differ. morb. c. 4. inter prima instrumenta recenset. Ideo sciendum, si propriè loqui libet, non opponi organicam similari, sed dissimilarem seu compositam partem. Deinde notandum, organi vocem interdum latiùs, interdum strictiùs accipi. Latiùs si sumatur organum: etiam similes quædam partes organicae esse possunt. Cùm enim organice partis natura in eo sita sit, ut peculiarem aliquam actionem (non communem, qualis nutritio est, quæ omnib. partibus competit) edat, atq; ad eam edendam certo modo conformata sit: aliquibus similibus partibus etiam hoc convenire, certum est. Habent enim venæ, arteriæ, nervi, dentes suam peculiarem conformationem, magnitudinem, & peculiaria ob hæc officia. Atq; hoc modo organicarum partium naturam etiam his inesse, & nomē non incommodè convenire videmus. Instrumentum verò magis strictè definit Galenus, *1. meth. med. cap. 6.* animalis partem, quæ perfectam potest edere actionem; quales sunt visus, auditus, incessus. Ideoq; organicarum partium duo genera rectè constituuntur: Quædam constant ex variis simplicibus partibus: quædam ex una tantum, verum figurata, & certo modo conformata. Ita vena quidem sua natura similis pars est, sed quatenus eo modo conformata est, ut sanguini vehendo aptus canalus sit, organica*

*Similaris non opponitur organicae. Organum dupliciter dicitur.*

B 2 dici